BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 — Seite 259v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

vita est. Sed decertat aurificibus et argentariis, sed et aerarios imitatur, et gloriam praefert quoniam res supervacuas fingit. Cinis est enim cor eius, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita illius: quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quae operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem. Sed et aestimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitae compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terrae materia fragilia vasa et sculptilia fingit. Omnes enim insipientes et infelices supra modum animae superbi sunt, inimici populi tui et imperantes illi: quoniam omnia idola nationum deos aestimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, et qui spiritum mutuatus est finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. Cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit cum esset mortalis, illi autem numquam. Sed et animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus potest bona conspicere. Effugerunt autem dei laudem et benedictionem eius.

Propter haec et his XVII similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometram: ut illi quidem concupiscentes escam, propter ea quae illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti novam gustaverunt escam. Oportebat enim illis sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. Etenim cum illis supervenit saeva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuae. Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium salvatorem. In hoc enim ostendisti inimicis nostris, quia tu es qui liberas ab omni malo. Illos autem locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa salus animae illorum, quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adiutorio. Etenim neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis. Homo autem per malitiam occidit animam suam, et cum exierit spiritus non revertetur, nec revocabit animam quae recepta est: sed tuam manum effugere impossibile est. Negantes autem nosse te impii per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis et grandinibus et pluviis persecutionem passi sunt, et per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat, in aqua quae omnia extinguit plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quae ad impios missa erant